

***Scorzonera Codringtonii* RECH. fil., n. sp.**

Sect. *Tuberosa* LIPSCH. — Rhizomatis pars superior 2—3 mm crassa, 3,5—6 cm longa adest. Squamae basales non numerosae, tenuiter membranaceae, perlate triangulari-ovatae, 1,2—2 cm longae, basi ad 1 cm latae, prope basin dense fere gossypino-villosae, ceterum glabrescentes tenuiter atrobruneo-nervosae, apice acuminatae vel caudatae. Caules foliaque dense breviter hirsute tomentosi, cani. Folia plurima basalia 8—15 cm longa, ad summum 4 mm lata, flaccida, sublinearia, saepe longitudinaliter plicata, elevate nervosa, apicem versus sensim attenuata. Caulis valde abbreviatus arcuato-ascendens, pedunculos plures subscapiformes tenues elongatos arcuato-flexuosos 6—9 cm longos emittens. Folia caulina basalibus similia breviora. Involucrum floriferum  $\pm$  1 cm longum, e phyllis 16—20 valde inaequalibus flaccidis patentibus compositum; exteriora e basi  $\pm$  dilatata lanceolata, acuta, herbacea, ad 2 mm lata, in interiora oblongo-linearia acuta sensim transeuntia, omnia herbacea, angustissime hyalino-marginata, appresse albo-lanato-tomentosa glabrescentia. Ligulae (in sicco) albiae, atropurpureo-striatae, quam involucrum usque tertia parte longiores. Achaenia ignota. — Habitu similis *Scorzonerae Litwinovii* H. KRASH. & LIPSCH., a qua squamis basalibus perlatis tenuiter membranaceis, caulibus valde abbreviatis, indumento breviter hirsuto-tomentoso nec longe lanato-floccoso, involucri phyllis brevibus magis patulis, ligulis atropurpureo-violaceo-striatis nec flavis diversa.

Afghanistan: Band-e Amir, 30. VI. 1940 (CODRINGTON s. n., una cum *S. afghana* RECH. fil., Typus in hb. Mus. Brit.).

***Scorzonera afghana* RECH. fil., n. sp.**

Sect. *Pseudopodospermum* H. KRASH. & LIPSCH. — Rhizoma in tuberum subglobosum 1,5—2 cm diametro dilatatum collo brevi squamis bruneis membranaceis ad 2,5 cm longis  $\pm$  3 mm latis comoso vel collo subnullo. Folia omnia basalia, flexuosa, anguste linearia, 10—15 cm longa, saepe complicata vel involuta,  $\pm$  2 mm tantum lata, crassiuscula, pallide olivacea, tenuiter paralleliter nervosa, cum scapis praesertim inferne floccoso-puberula, pilis stellatis  $\pm$  crispulis pro parte paululum patentibus. Scapi tenuiter filiformes, quam folia semper evidenter breviores. Involucrum minutum tenuiter cylindricum, floriferum 12—15 mm, fructiferum usque 22 mm longum, appresse tenuiter allostellato-tomentosum, phyllis exterioribus ovatis acutis 3—5 mm latis, quam interiora plerumque plus quam dimidio brevioribus, herbaceis, angustissime scarioso-marginatis, apicem versus interdum glabrescentibus; phylla interiora ovato-lanceolata vel oblonga, obtusiuscula, latius hyalino-marginata, apice saepe aliquantum extus curvata. Ligulae roseae vel

pallide purpureae, involuero tertia vel quarta parte longiores. Achaenia submatura  $\pm$  10 mm longa, brunescens, subquadrangula, glabra, laevia. Pappus inaequiradius, pallide stramineus, plumosus, ad 13 mm longus. — Differt ab affini *S. turcomanica* H. KRASH. & LIPSCH. rhizomatis collo brevi vel subnullo, foliis angustioribus complicatis vel convolutis, indumento minus appresso imprimis inferne subcrispulo, capitulis achaeniisque minoribus, pappo breviori stramineo nec griseo-violaceo, ligulis roseis vel purpurascensibus nec flavis.

Afghanistan: Band-e Amir, 30. VI. 1940 (CODRINGTON s. n., una cum *S. Codringtonii* RECH. fil., Typus in hb. Mus. Brit.).

***Scorzonera mucida*** RECH. fil., AELLEN & ESFANDIARI, n. sp.

Sect. *Pseudopodospermum* H. KRASH. & LIPSCH. — Rhizoma ignotum sed certe in tuberum profundum incrassatum. Collum ca. 6 mm crassum squamis  $\pm$  laceratis pallide bruneis subopacis glabris copiose comosum. Caulis valde abbreviatus subscapiformis. Folia plurima basalia, linearia, ad 8 cm longa, 3—4 mm lata, margine saepe minute crispato-subcrenata, saepe omnino curvata vel apice quidem  $\pm$  spiraliter involuta, basi paulo angustata sessilia, apicem versus sensim longe attenuata, interdum anguste fere caudato-elongata, costa mediana lata e nervis tribus approximatis parallelis  $\pm$  distinctis consistente. Folia omnino cum caulibus et involucri phyllis tomento denso appresso albido persistente e pilis minutis stellatis  $\pm$  intertextis composito quasi mucida. Scapi tenues, infra involucrum non vel vix incrassati, arcuati vel flexuosi, 3—10 cm longi. Involucrum floriferum 2—2,5 cm longum,  $\pm$  0,6 cm diametro, fructiferum 3—3,5 cm longum, e phyllis paucis irregulariter imbricatis late scarioso-marginatis compositum, exteriora ovata, acuta,  $\pm$  0,6 cm lata, tertiam circiter partem longitudinis interiorum attingentia; interiora a basi fere sensim attenuata sed apice ipsa obtusa vel subobtusa. Ligulae in vivo purpureae, in sicco  $\pm$  expallescentes, atropurpureo-lineatae, involuero  $\pm$  tertia parte longiores. Achaenia submatura 10—11 mm longa, pallida glabra. Pappus e radiis numerosis valde inaequalibus consistens pallide bruneus, scaber et praesertim inferne plumosus, ad 2 cm longus. — *S. Szovitsii* DC. proxima, a qua notis sequentibus differt: indumento totius plantae denso stellato-floccoso appressissimo albo (nec planta glabra vel sub lente breviter pulverulenta), involucri phyllis quidem tomento stellato persistente tectis (non glabrescentibus), quam in plurimis speciebus *S. molli* M. B. affinis angustioribus.

Persiae prov. Kerman: Inter Kerman et Saidabad (Sirdjan), inter Mashiz et jugum Khan-e Sorkh, 2000—2500 m, 27. IV. 1948 (RECH. fil., AELLEN & ESFANDIARI no. 3052 a, florens), ad confines prov. Kerman et Fars, in jugo Čah Čoghuk (Čafut) a Saidabad meridiem versus, ca. 1900 m, 28. 4. 1949 (RECH. fil., AELLEN & ESFANDIARI no. 3052 b, fructiferum), inter